



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Clerus Sæcularis Et Regularis**

Seu Decretalium Gregorij IX. Pont. Max. Liber III ; Brevi Methodo ad discentium utilitatem expositus, In quo præcipuæ circa Materiam hujus Libri tertij, quæ tum in Theoria, tum in Praxi occurrunt, difficultates solvuntur, allatis etiam contrà sentientium fundamentis, & hororum solutionibus

**Schmalzgrueber, Franz**

**Ingolstadii, 1726**

**VD18 13510800-001**

§. I. De Clericis minoribus Matrimonia ineuntibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75021](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75021)

## TITULUS III.

## De Clericis Conjugatis.

**A**ctum est præcedente Titulo de illicita cohabitatione Clericorum cum mulieribus; nunc de alia, Jure Divino, & naturali licita per Matrimonium, quod pariter prohibitum est Clericis, cum simul Divinis obsequijs, & carnalibus voluptatibus, ac desiderijs vacare non

possint. Quia verò non eodem rigore, nec indiscriminatim omnibus Clericis conubia ab Ecclesia sunt interdicta, hinc distinguendum inter Clericos in Minoribus solum Ordinibus constitutos, & inter eos, qui Majoribus initiati sunt. Quare sit

## §. I.

## De Clericis Minoribus Matrimonia ineuntibus.

## SUMMARIUM.

1. Clericus in Minoribus constitutus Matrimonium potest contrahere.
2. Sed eo contracto, ad Beneficia Ecclesiastica obtinenda sit incapax.
3. Ita, ut eidem etiam non proffit Regula de trienniali possessione.
4. 5. 6. Ante obtenta amittit ipso Jure.
7. Si sponsalia de presenti, seu Matrimonium contraxerit, etsi ratum solummodo,

8. Et intelligi hoc debet de quibusvis Juribus ad Beneficia.
9. 10. Item de Pensionibus, assignatis titulo Clericali.
11. 12. 13. 14. Si Matrimonium ex aliquo defectu nullam sit, privatio hæc non inducitur.
15. 16. 17. Cum Clerico conjugato ad Beneficia obtinenda, vel retinenda dispensare solus Pontifex potest.

**Q**uæritur 1. an Clerici, qui in Minoribus Ordinibus tantum constituti sunt, dimisso Clericatu, Matrimonium possint contrahere, & si possunt, an possint omnes? Rationem dubitandi facit *can. 25. Apostolorum*, ubi dicuntur *Lectores, & Cantores tantum*, si velint, nuptias contrahere posse, ex quo sequi videtur, quod Acolythis id non sit permissum.

Sed Juris certi, & indubitati est, id licitum esse Clericis his, in quocunque Ordine minore sint constituti; ita enim aperte constat ex *can. siqui 3. can. placuit 13. & can. seq. dist. 32. can. quia tua 8. §. siqui verò caus. 12. q. 1. c. siqui 1. b. tit.*

Proceditque hoc, etiam si is, qui Ordines minores suscipit, eos suscipiat, existimans, etiam ipsis annexum esse Votum solenne continentiae, ut rectè notat *Pirh. l. 4. tit. 6. n. 4.* Ratio est, quia talis non intendit per se, & principaliter Votum Castitatis emittere, sed solum quatenus illud annexum putabat Ordinibus minoribus; cum ergo non sit annexum, nullo Voto obligatus erit.

Neque obstat *can. cit.* dicendum enim, quod in eo, & similibus Canonibus *Lectorum*, & *Cantorum* appellatione contineantur omnes Clerici inferiores Subdiacono, ut sic Jura Juribus concordentur. Et esto, hoc dici non possit, est tamen eadem de omnibus ratio. Nec scrupulum movere debet dictio *Tantum*; hæc enim, ut ex Everhardo advertit *Sanch. l. 7. de Matr. D. 31. n. 6.* ita excludit extranea, & dissimilia, ut includat

similes casus, in quibus est eadem ratio.

Quæritur 2. an Clericus in minoribus Ordinibus constitutus, si contrahat Matrimonium, capax, & habilis sit ad Beneficia Ecclesiastica obtinenda? Rationem dubitandi aliquam facit *§. siqui cit.* ubi Clericis extra SS. Ordines constitutis, uxores ducentibus, dicuntur assignanda stipendia.

Verum hoc non obstante, dicendum est, Clericos etiam minores, si uxores duxerint, ad Beneficia Ecclesiastica obtinenda redditos esse inhabiles, & si quæ antea obtinuerint, ijs esse privatos. Consentient in hoc omnes, nemine discrepante, ut testis est *Sanch. l. 7. de Matr. D. 42. n. 14.* & patet ex *c. siqui 1. c. quod a te 3. & c. diversis 5. b. tit.* Ratio est, quia Clericus conjugatus in omnibus habetur ut Laicus, exceptis casibus expressis *c. un. h. tit. in 6.* sed Laicus non est capax Beneficij Ecclesiastici *c. cum adeo 17. de rescriptis.*

Additur *c. diversis cit.* triplex alia congruentia. 1. quia in Clericorum conversatione *Cithara cum Psalterio malè concordat*, i. e. Laicalis conversatio cum Clericali ministerio, ut explicat *Gloss. in c. cit. V. Cithara.* 2. quia qui alligatus est uxori, ut Apostolus loquitur, cogitat, quomodo placeat uxori, & sic divisus est, quasi in duo, ac minus aptus ad serviendum Ecclesiae. 3. quia per tales rerum Ecclesiasticarum substantia perire solet; periculum enim est, ne ea, quæ Ecclesiae sunt, filijs, ac nepotibus lar-

largiantur. Hinc meritò *c. siqui h. tit. in princ.* statuitur, ut ejusmodi Clerici, si Matrimonium contraxerint, per Ecclesiasticam Censuram compellantur ad Beneficia Ecclesiastica, si quæ habuerint, relinquenda.

3 Estque hoc ita verum, ut etiam ipsis non profit *Regula de triennali possessione*, quæ prohibetur is, quamdiu possedit Beneficium, postea super ea possessione molestari, licet illa regulâ juventur etiam inhabiles, ut Excommunicati, Irregulares. *Ratio differentie est*, quòd Excommunicatus, & Irregularis non sit omnino incapax Beneficij; quamvis enim illud eo tempore obtinere non possint, at antea obtento non privantur, sed retinere illud possunt: at verò Clericus conjugatus, quia, ut dixi, in omnibus habetur pro Laico, hoc ipso incapax redditus est ad Beneficium Ecclesiasticum tam acquirendum, quam retinendum.

Ad textum in *Ratione* dubitandi allatum, ut cum communi eundem explicat Sanch. *l. 7. de Matr. D. 42. n. 19. fin.* dicendum ea Jura postea correctâ, vel intelligenda esse de stipendio temporalis, quod ex miseratione ad sublevandam inopiam, vel ob laborem, & ministerium Ecclesiæ ab ipsis exhibitum eisdem assignatur,

4 Queritur 3. an Clerici minores, si Matrimonium contrahant, Beneficia Ecclesiastica amittant ipso Jure, an verò solum per sententiam Judicis ipsdem privandi sint? Posterius nonnulli tenent cum Carrer. *l. 3. de sponsal. c. 3.* & Rodriq. *Summ. tom. 1. c. 123. n. 1. edit. 2.* ex quorum sententia, ut tali casu inducatur actualis privatio, requiritur sententia Judicis condemnatoria. Fundantur 1. textu *c. siqui 1. c. quod à te 3. h. tit.* ubi dicitur, *Si Clerici infra Subdiaconatum uxores acceperint, ipsos ad relinquenda Beneficia Ecclesiastica compellendos, usque privandos esse.* igitur non sunt privati ipso Jure, & factò; nam verba *compellere, privare, spoliare* &c. sententiam Judicis primùm ferendam denotant. 2. si quis ab initio sit habilis ad Beneficium obtinendum, illud non perdit, etsi postea fiat inhabilis e. g. Irregularis, cum ergo Clericus in minoribus tempore, quo obtinuit Beneficium, fuerit inhabilis, non perdit illud ratione conjugij subsequents, per quod inhabilis fit ad obtinendum. 3.

concupinari ante sententiam, saltem declaratoriam criminis, ut *n. 13. tit. præc. dixi*, non tenentur restituere fructus, nec alij Clerici cedere Beneficijs, quæ amiserunt ob alia crimina *arg. c. cum secundum 19. de Heret. in 6.* 4. inò communis sententia habet non vacare Beneficium ante sententiam, quamvis Canon statuatur, ipso Jure amitti, addâtque clausulam *Absque alia declaratione.*

5 Sed his non obstantibus, dicendum, ab hujusmodi Clericis, si Matrimonium, saltem validè, ineant, Beneficia Ecclesiastica

ante obtenta ipso Jure, & factò amitti: &

hinc 1. si ita privatus Beneficio reditus ex eodem aliquos percepit, restituere illos tenetur à die, quo contraxit Matrimonium. 2. si illud permutet, vel resignet in favorem alterius, postquam Matrimonium ita contraxit, permutatio, vel resignatio nulla est. 3. ipsum Beneficium, post contractum Matrimonium, tanquam vacans, ab alio impetrari, & huic saltem quoad titulum validè conferri potest. Ita Glossa in *c. 1. h. tit. V. relinquenda*, Joan. Andr. *ibid. n. 6.* Abb. *n. 4.* Alegon. in *Gloss. Imol. n. 4.* & 5. Gonzal. in *c. 5. tit. eodem n. 2.* Sequuntur Garc. *p. 11. de Benef. c. 8. n. 1.* Less. *l. 2. c. 34. n. 112.* Sanch. *l. 7. de Matr. D. 42 n. 4.* Barb. *de Offic. Episc. alleg. 57. n. 202.* Vallens. *de Benef. l. 1. tit. 19. n. 2.* Honor. *hic n. 2.* Zoel. *n. 15.* Pirh. *n. 11.* König *n. 10.* Wiest. *n. 4.* Ratio est, quia

Matrimonium validum est incompatibile cum Beneficio Ecclesiastico, ac proinde, cum Clericus sciat, vel scire debeat, quòd simul Beneficium retinere, & uxorem habere non possit, hoc ipso, quòd uxorem duxerit, censetur tacitè, & ipso factò renuntiâsse Beneficio suo. *Conf.* quia sub ea tacita conditione confertur Clerico Beneficium, ne statum incompatibilem assumat, si Beneficium retinere velit, talis status est Matrimonij, ergo eo assumpto, hoc ipso, tanquam deficiente conditione, statim perdit Beneficium,

6 Neque obstant argumenta opposita in contrarium. *Ad 1.* textus illi, ut cum communi eisdem explicat Sanch. *l. cit. n. 19.* intelligendi sunt de spoliatione, & privatione, non ipsius Juris, sive Tituli, sed solius possessionis Beneficiorum, si hæc post Matrimonium in initum adhuc retineant; nam ad ea dimittenda compellendi sunt, quòd injustè, & defacto solum illa retineant. *Ad 2.* id verum est, quando quis excluditur à Beneficio ob inhabilitatem personæ; non verò, quando id perditur ob renuntiationem tacitam, prout perditur in casu præsentis, ut bene cum *cit.* Sanchez observant Pirh. *n. 12.* Schamb. *n. 8.* *Ad 3.* negatur paritas: in casibus objectionis bene attenditur sententia saltem declaratoria, quia in ipsdem privatio Beneficij inducitur ut poena criminis, ad quam ex communi doctrina ante sententiam nemo tenetur in conscientia; at in casu nostro, ut paulò antè dictum est, privatio Beneficij non ex crimine tanquam poena (neque enim Clericus minor contrahens Matrimonium peccat) sed ex propria Beneficij voluntate tanquam tacita resignatio oritur. *Ad 4.* eadem est responsio; nam communis illa sententia tantum procedit, quando privatio Beneficij poenalis est.

Queritur 4. quousque extendi debeat memorata privatio Beneficiorum? *R. I.* intelligi debet de solo Matrimonio; nam per contractum Sponialium de futuro Clerici

in minoribus constituti ipso Jure Beneficia Ecclesiastica non amittunt. Abb. *in c. 1. h. tit. n. 5.* Garc. *p. 11. de Benef. c. 8. n. 19.* Sanch. *l. 7. de Matr. D. 42. n. 1.* Less. *l. 2. de Just. c. 34. n. 114.* Barbof. *in c. cit. n. 11.* Pirh. *hic n. 14.* & ratio est, quia per sponsalia de futuro non assumitur status plenè incompatibilis cum Beneficijs, sed illa tantum sunt via ad statum incompatibilem obtinendum.

2. Intelligi debet non tantum de Matrimonio consummato, sed etiam de rato tantum; quia per hoc, quamdiu non dissolvitur, jam inducitur status incompatibilis cum Beneficio. Estque hoc verum, ut Beneficium sic amissum hujusmodi Clericus etiam non recuperet, licet ante consummatum Matrimonium uxor sit mortua, vel Religionem ingressa; quia jus semel extinctum non reviviscit, etsi causa cesset, per quam extinctum est *can. quàm periculosum 8. caus. 7. q. 1. Clem. gratie 4. de rescript.* Abb. *in c. 1. h. tit. n. 6.* Imol. *ibid. n. 4.* Garc. *l. cit. n. 3.* Sanch. *n. 6.* Vall. *hic §. 2. n. 1.* Zoef. *n. 16.* Honor. *n. 2.* Pirh. *n. 13.* König *n. 8.* Wiest. *n. 6.* Hinc, ut dissoluto Matrimonio ejusmodi Clericus conjugatus Beneficia amissa recuperet, opus habet nova collatione.

3. Intelligi debet non tantum de Beneficijs, sed etiam de Gratijs expectativis, accessu, regressu, & quibusvis alijs Juribus Spiritualibus ad Beneficia Ecclesiastica, quæ ante initum Matrimonium Clericis ex collatione, nominatione, præsentatione competeant; vacant enim ipso Jure, instar Beneficiorum. Barbof. *de Offic. Episc. alleg. 57. n. 205.* Garc. *l. cit. n. 2.* Sanch. *n. 7.* cum alijs supra. Ratio est, quia Beneficia primum obtinenda, & ad ea competentia Jura facilius amittuntur, quàm jam obtenta, & possessa, cum jus in re fortius sit, quàm jus ad rem.

Addi tamen, per Matrimonium amitti Jura ad Beneficia; nam aliæ gratiæ, quæ jus ad Beneficia nullum tribuunt, uti est dispensatio cum illegitimo ad obtinendum Beneficium, per contractum Matrimonij non amittuntur; quia talis dispensatio solum auferit impedimentum, & dispensatum restituit capacitati naturali, cui status Matrimonij non repugnat. Sanch. *n. 9.* Et hinc sequitur, quod talis, cum quo sic dispensatum est, soluto Matrimonio, non habeat opus nova dispensatione in impedimento natalium; sed potest vi prius obtentæ dispensationis Beneficium obtinere.

4. Queritur 5. an per Matrimonij contractum Clericus minor Matrimonium contrahens etiam amittat Pensiones, quas antea obtinuit ab Ecclesia? 3. distinguendum inter Pensiones, quæ assignatæ sunt Clerico in minoribus constituto pro Ministerio merè temporali, & inter eas, quæ eidem sunt assignatæ titulo Clericali.

Priores Clericus Matrimonium contrahens non amittit; quia dantur tanquam Laico: proinde per mutationem Status Clericalis in Laicalem non vacant; cum nulla sit earum cum statu Laicali incompatibilitas Sanch. *l. 7. de Matr. D. 44. n. 4.* adeoque casu, quo Clericus talis ante contractum Matrimonij pensionem aliquam ab Ecclesia habuit, quia fuit Advocatus Ecclesiæ, Sacrista, Cantor, Organædus &c. post Matrimonij contractum hæc officia continuando merito pro ijs, tanquam laboris stipendium, pensionem sibi assignatam percipit.

Alia ratio est de posterioribus pensionibus, seu assignatis Clerico ex titulo Clericali; nam hæ, ut Beneficia, etiam ipsæ per contractum Matrimonij à Clerico celebratum amittuntur. Sanch. *l. cit. n. 5.* Barb. *de Offic. Episc. alleg. 57. n. 206.* Vall. *hic §. 2. n. 1.* Zoef. *n. 19.* Honor. *n. 2.* Pirh. *n. 13.* König *n. 8.* Wiest. *n. 5.* & alij apud istos. Ratio est manifesta; quia Pensiones Ecclesiasticæ Beneficijs subrogantur, subrogatum autem sapit naturam ejus, cui subrogatur, igitur cum Clericus conjugatus incapax sit Beneficij Ecclesiastici, etiam incapax erit Pensionis Clericalis.

Excipiuntur 1. Milites Lauretani, & alij quidam Ordinum Militarium, quibus ex speciali privilegio summorum Pont. concessum est, ut retinere possint Pensiones Ecclesiasticas, etiam si Matrimonium contrahant, si illud contrahant cum unica, & Virgine. Barbof. *in c. 1. h. t. n. 6.* Wagn. *ibid. not. 2.* Pirh. *n. 13.*

Excipiuntur 2. etiam alij, quibus à Summo Pont. ex justa causa e.g. Paupertatis, hujusmodi Pensio concessa est; quia incapacitas hæc in Clericis conjugatis ad Pensiones est tantum Juris Ecclesiastici, quo superior Pontifex est, tanquam Legislator Legge à se condita. Sanch. *n. 9.*

Excipiuntur 3. illi, quibus à Pont. concessa Pensio est, ut illa duret toto tempore, quo victurus est Pensionarius; nam tales retinere eandem poterunt, etiam post contractum Matrimonium, ex tacita Pontificis voluntate. Sanch. *n. 7.*

Queritur 6. an Clericus in minoribus constitutus Beneficia, Pensiones Ecclesiasticas, & similia Jura ipso facto amittat etiam per contractum Matrimonij, quod ob defectum, vel impedimentum aliquod invalidum est? Abb. *in c. Joannes 7. h. tit. n. 7. & 8.* Imol. *ibid. n. 24.* Barbof. *n. 8.* & *alleg. 57. n. 207.* Less. *l. 2. de Just. c. 34. n. 113.* Garc. *de Benef. p. 11. c. 8. n. 7.* & communis aliorum ferè sententia putat ea amitti etiam hoc casu, quo Matrimonij contractus est irritus ex defectu consensûs. Fundatur maximè hac ratione; quia ex intentione Clericorum contrahentium Matrimonium assumptus est status incompatibilis, adeoque Juris interpretatione Beneficio ipso facto

renuntiatum intelligitur *arg. c. nuper 4. de Bigam.* ubi propter affectum, seu intentionem cum opere subsecuto quis inter Bigamos reputatur: & certe in Jure frequens est, ut non ad validitatem, & veritatem rei, sed potius ad effectum operis subsecuti attendatur. 2. per adeptionem secundi Beneficij, si curatum illud sit, vacat primum ipso Jure *c. relatum 4. de Cleric. non resid.* & *c. cum singula 32. de Preb. in 6.* estque hoc verum, etsi adeptio secundi sit irrita, ut statuitur *c. eum qui 18. eod.* non alia ex ratione, quam quod per adeptionem secundi ob incompatibilitatem cum primo censetur primum haberi pro derelicto, atqui non minus incompatibilem cum Beneficij retentione statum ingreditur ille, qui contrahit Matrimonium, ergo &c. 3. Episcopus propria autoritate ab uno Episcopatu ad alium transiens, prior excidit, licet non potiar posterior *c. quando 3. de translat. Episc.* ergo pari modo Clericus minor Beneficio excidit, quantumvis conjugium, quod inivit, non subsistat, & ducta conjuge non potiar.

32 Sed etsi relata sententia communior sit, verior tamen est negativa, quam cum alijs defendunt Sanch. l. 7. de Matr. D. 43. n. 3. Pal. tr. 13. D. 6. §. 8. n. 9. Laym. l. 4. tr. 2. c. 14. num. 7. §. dixi autem, Vall. de Benef. l. 1. tit. 19. n. 3. Schamb. hic n. 10. König n. 11. Wiest. n. 3. Proceditque, quocumque ex titulo, sive ob defectum consensu, sive ob omisam solemnitatem per Trid. requisitam, sive ob consanguinitatis, aut aliud impedimentum dirimens conjugium irritum sit.

Ratio est 1. quia SS. Canones, quando Beneficiorum privationem in Clerico Matrimonium contrahente inducunt, loquuntur de Matrimonio valido, ut constat ex *c. siqui i. h. tit.* ubi Clerici ejusmodi, sicut ad Beneficia relinquenda, ita ad uxores retinendas compelli jubentur; hoc autem alterum fieri nequit, quando matrimonium invalidè contractum est, ergo &c.

2. In Matrimonio invalido cessat ratio, ob quam Jure Ecclesiastico inducta est privatio Beneficiorum; nam Beneficij Ecclesiasticis Clericus conjugatus privatur, quia uxori, & carnis voluptatibus operam dare, & Divinis obsequijs vacare simul non potest, at Clericus, qui Matrimonium inijt, quod publicè constat invalidè contractum esse, ab obsequijs Divinis per hoc suum Matrimonium non impeditur, cum eidem jus ad usum nullum præbeat.

33 3. Si Matrimonium invalidè contractum a Clerico in Minoribus constituto induceret ipso Jure privationem Beneficij prius obtenti, induceret illam vel in poenam delicti, vel ob incompatibilitatem status, vel ob tacitam renuntiationem, vel ob aliam juris positivi dispositionem. Nullum ex his dici potest. Non primum; quia vel scit subesse

impedimentum, vel nescit: si nescit, illud bona fide ineundo non peccat; si scit, peccat quidem, sed tunc privatio Beneficij est poena, quæ ante sententiam criminis declaratoriam non incurritur. Non secundum; quia per Matrimonium invalidè contractum, cum nullum inducat vinculum, Clericus illud contrahens uxori non obligatur. Non tertium, quia tacita renuntiatio non habet majorem vim, quam expressa, atqui hæc non inducit privationem Beneficij, nisi facta sit in manibus legitimi Prælati, seu Superioris *c. nisi 10. & c. quod in dubijs 8. de renunt.* ergo nec Matrimonium vim habebit renuntiationis valida, nisi & ipsum legitime sit contractum.

Non quartum; quia nullus est Canon, qui Matrimonio invalidè contracto privationem Beneficiorum ipso Jure annexat. Et hinc in hujusmodi Clericis locum habebit *Reg. 52. in 6.* Non præstat impedimentum, quod de Jure non sortitur effectum, cum ergo tali casu Matrimonium contractum nullum sit, ipso Jure privationem Beneficiorum non inducet.

Dixi ipso Jure; nam per sententiam Judicis ita contrahens Beneficio privandus est, nisi ex justa causa cum eo dispenseretur. Schamb. n. 10.

Neque obstant rationes dubitandi 14 allatæ. Ad 1. per Matrimonium invalidum non est assumptus status incompatibilis cum Beneficio, ut patet ex Probationibus allatis. Ad 2. tum solum Clericus contrahens Beneficium antea possessum pro derelicto habere censetur, quando contraxit Matrimonium cum effectu vinculi: quod in nostro casu non contingit. Ad 3. etsi in alijs quibuldam casibus reperitur dispositum, ut sola attentatio facti sufficiat, non tamen sequitur, idem dicendum in casu nostro: & ratio est, quia Canon ita disponens poenalis est, & cons. ad casus expressos extendi non debet. Eadem est responsio ad exemplum de Bigamis in prima ratione dubitandi allatum.

Queritur 7. an Episcopus cum Clericis conjugatis dispensare possit ad Beneficia obtinenda, vel retipenda? Rationem dubitandi facit textus *c. Joannes 7. h. tit.* ubi supponitur cum Clerico conjugato ad Beneficium obtinendum, vel antea obtentum retinendum dispensari posse: quod frustra diceretur, si dispensare cum eo solus Pontifex posset, cum de hoc aliunde constet, eum dispensare posse in omni Jure Ecclesiastico. Conf. Episcopus ad Beneficium obtinendum, & obtentum retinendum dispensare potest cum deposito ab Ordine, & Officio *can. Sakonitane 24. dist. 63.* item cum homicida, & irregulari *c. ad audientiam 12. de homicid.* ergo etiam dispensare potest cum Clerico conjugato. Prob. Conf. nam dispensare cum deposito, homicida, irregulari plus est, quam dispensare cum Clerico

co conjugato. atqui cui licet, quod est plus, licet utique, quod est minus. ergo &c.

16 Sed multo melius dicitur, solum Pontificem posse dispensare, ut conjugatus qualecunque Beneficium obtineat. Ita Abb. in c. Joannes 7. b. tit. n. 7. Selva de Benef. p. 1. q. 7. n. 17. § 18. Sylv. V. Beneficium 3. q. 4. n. 8. Flamin. de Resign. l. 4. q. 2. n. 28. Sanch. l. 7. de Matr. D. 42. n. 18. Vall. hic §. 2. n. 8. Pirh. n. 20. König n. 9. Wiest. n. 9. Sumitur 1. ex c. diversis 5. b. tit. ubi Clericus conjugatus Beneficio, quod ipsi Episcopus scienter contulit, afferitur spoliandus, non per ipsum Episcopum, qui illud contulit, sed per Superiorem ejusdem, videlicet Archiepiscopum. atqui si Episcopus dispensare cum Clerico conjugato posset ad Beneficium aliquod obtinendum, vel obtentum retinendum, hoc fieri nequaquam deberet; quia hoc ipso, quod Episcopus scienter ejusmodi Clerico Beneficium contulisset, cum ipso tacite & ipso facto dispensasse præsumeretur ergo &c. 2. Episcopus non potest dispensare contra Decreta SS. Canonum, nisi id expresse ei concessum sit; inferior enim Legem Superioris non potest tollere, atqui secundum SS. Canones Clerici conjugati in ordine ad res Ecclesiasticas, seu Beneficia censentur ut Laici. ergo sicut cum his Episcopus ad obtinendum Beneficium dispensare

non potest, ita nec cum Clericis conjugatis. 3. Clerici conjugati non admittuntur ad Ecclesiasticas administrationes c. sane 2. b. tit. ergo neque ex dispensatione Episcopi capaces sunt Beneficij; quia etsi simplex tantummodo sit, datur solum ratione administrationis, vel officij Ecclesiastici c. proposuit 6. de fil. Presbyt. c. conquereute 6. de Cler. non resid.

Ad rationem dubitandi oppositam 17 co, textum illum intelligi debere de dispensatione non Episcopi, sed Papæ, ut eundem interpretantur Gloss. fin. ibid. Barb. n. 3. Gonz. n. 1. Sanch. n. 18. cit. Pirh. n. 20. König n. 9. Wiest. n. 9. Neque obstat, quod de dispensatione Papæ hoc per se clarum sit; quia non est novum in Jure pro majori claritate aliqua statui, quæ independenter à tali constitutione aliunde certa sunt: ostenditur enim per tale statutum, impedimentum hoc, quod inducitur per Matrimonium, esse absolute dispensabile. Ad Conf. Regula cui licet cit. non procedit in materia exorbitante, qualis est materia dispensationis, nec licet inferre à casibus permissis ad non permissos, tamen si casus non permissi sint majores, & graviores permissis; est enim decantatissima Regula, *Que à Jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda*, ut habetur Reg. 28. in 6.

## §. II.

### De Clericis Majoribus Matrimonia ineuntibus.

## SUMMARIUM.

18. Clericus in Majoribus constitutus nec licite, nec valide contrahit Matrimonium.
19. Quod verum est etiam in Græca Ecclesia.
20. Post contractum Matrimonium in Latina Ecclesia ad Ordines non admittuntur, nisi consentiat uxor, & votum continentie edat.
21. In Græca usus Matrimonij licitus ipsis est.
22. 23. 24. Non in Latina.
25. 26. 27. Cœlibatus Clericis Majoribus injunctus est Jure Ecclesiastico tantum.
28. 29. 30. 31. Quo Votum Continentie SS. Ordinibus annexum est.
32. Potuit Ecclesia hoc Votum annexere Ordinibus.
33. 34. Pœna Clericorum, qui suscepto S. Ordine contrahunt Matrimonium.
35. 36. 37. Defacto illud solum contrahendo, privationem Beneficiorum non incurunt ipso Jure.
- 18 Q Uæritur I. an, & quomodo Matrimonium incompatible sit cum SS. Ordinibus? R. distinguendum inter Matrimonium contrahendum, & contractum? *Matrimonio contrahendo* SS. Ordines ita obstant, ut Clerici, qui in his constituti sunt, nec licite, nec valide contrahere illud possint, ut aperte desumitur ex c. siqui 1. b. tit. c. de Diacono 1. qui Cler. vel vov. & definitum est à Trid. sess. 24. can. 9. In quo dispar est ratio cum Clericis, qui constituti sunt solum in Ordinibus minoribus: & ratio disparitatis est, quia in Majoribus constituti propinquius ad Altaris accedunt ministerium: hinc etiam

major in ijs sanctitas, & puritas requiritur, cum Ordinem Sacrum ineundo perpetuo se consecrârint Deo.

Estque Lex ista universalis omnino, 19 etiam Clericos Ecclesiæ Græcæ obligans; nam nec isti, postquam aliquando in Sacris sunt constituti, ducere amplius uxores possunt, ut notavi Tit. 1. n. 20. Eadem Lex etiam, saltem quoad Sacerdotes, est antiquissima; nam ut Laym l. 5. tr. 9. c. 11. n. 5. notat, his nunquam concessum fuit post susceptum Sacerdotium uxorem ducere. Dixi, saltem quoad Sacerdotes; nam Diaconis, & Subdiaconis, si in suscep-